



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

III. Vt Ioannis episcopi causa examinetur, aliorumque qui communionis
consortium refugieba[n]t

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

eunte doctrina in unitatem catholicæ fidei omnes qui dispersi sunt congregentur, & esse inexpugnabile vnum corpus incipiat, quod si separetur in partes, ad omnes patet lacerationis iniurias, & ex se sepe pestem patietur internam, quando secum compago ipsa confligit. Sed hæc generaliter de unitatis reformatione omnes, tamquam singulis scripta sint, accipient sacerdotes. Dehinc in partes animum super omnibus dilectio vestra quæ proponentur intendat.

II.

Non enim latere potuit, quod Rufinus atque Minicius episcopi in alienis ecclesiis, contra Nicænos Canones, episcopos usurpauerunt ordinare. Hæc ne quis sibi audeat vendicare, saltem nunc a nobis est salubriter prouidendum, ne improba usurpatione dissimulatio in deteriorius conualescat, & fiat de consuetudine regula, quæ non veniat ab ipsa quæ literis mandata est disciplina. Quia in re Hilari fratri & consacerdotis nostri querela primitus audiatur, qui asseruit Rufinum contra ecclesiarum pacem omni oppugnatione fuisse versatum, & dudum in Concilio Toletano erroris sui veniam postulasse, & nunc, cum metropolitano episcopo ordinandi sacerdotis pontificium deberetur, contra populi voluntatem, & disciplinæ rationem, episcopum locis abditis ordinasse, ecclesiæ scandalis miscuisse. Dehinc Tarragonensium episcoporum est causa tractanda, qui pari modo Minicum in Gerundensi ecclesia episcopum ordinasse conquesisti sunt; & iuxta Nicænos Canones ferenda est de tali usurpatione sententia. Illorum etiam episcoporum, qui a Rufino vel a Minicio contra regulas ordinati sunt, habeatur plena discussio; ut quia perperam facti sunt, intelligent id quod vitioso initio adepti sunt se diutius obtinere non posse.

III.

⁶ De Ioanne quoque episcopo, cuius in Synodo Toletana super receptis Symphosio atque Dictinio per legatos consensus accessit, & cui probabilis visa illa correccio, examinentur quæ postea sunt secuta; & prorsus super omnibus, quorum in dubium venit de cessatione communio, plena inquisitio vestigetur: ut secundum

Decretum Synodi Toletanæ, vel communionis consor-
tio propter abolendam suspicionem schismatis miscean-
tur, vel si qui fuerint deprehensi qui abnuant concor-
diam & constituta placitorum, a communione catho-
licæ fidei per dilectionis vestræ sententias abdicentur: vt
iam non internum malum, quod tacitum non definit ser-
pere, sed schismaticorum manifesta professio contagio-
que vitetur.

IV.

Nam ⁷ de ordinationibus, quas prauæ consuetudinis
vitio Hispanienses episcopos celebrare cognoscimus, fu-
erat aliquid secundum maiorum traditionem statuen-
dum, nisi perpendermus ne perturbationes quampluri-
mis ecclesiis moueremus. Quorum factum ita reprehendim-
imus, vt propter numerum corrigendorum, ea quæ
quoquo modo facta sunt in dubium non vocemus, sed
Dei potius iudicio dimittamus. Quantos enim ex his qui
post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione
versati sunt, & obtinendi pertinaciâ suscepereunt, adscitos
ad sacerdotium esse comperimus, e quorum numero Rufi-
nus & Gregorius perhibentur? Quantos ex aliqua mi-
litia, qui cum potestatibus obedirent, seuera necessario
præcepta sunt executi? Quantos ex curialibus, qui dum
parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt?
Quantos quivoluptates & editiones populo celebrarunt,
ad honorem summi sacerdotii peruenisse: quorum om-
nium neminem ne ad societatem quidem ordinis cleri-
corum oportuerat peruenire? Quæ si singula discutien-
da mandemus, non modicos motus aut scandala Hispa-
niensibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de studio
emendationis inducemus. Idcirco remittēda potius hæc
putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dile-
ctionis vestræ maturitas prouidere debebit, vt tantæ v-
surpationi saltem nunc finis necessarius imponatur: eo
videlicet constituto, vt si qui post hæc aduersus formas
Canonum, vel ad ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum
sacerdotiū venire tentauerint, yna cum creatoribus suis
ipso, in quo inuenti fuerint, ordine & honore priuentur.

V.

Gregorii etiam Emeritensis episcopi, qui ⁸ in locum
Pa-